



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1859**

IX. Die Markgrafen Johann und Otto überlassen dem Kloster Diesdorf das  
Dorf Reddigau, am 27. September 1228.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54934)

IX. Die Markgrafen Johann und Otto überlassen dem Kloster Diesdorf das Dorf Reddigau,  
am 27. September 1228.

In nomine sancte et individue trinitatis. Johannes et Otto, dei gratia Marchiones Brandenburgenses. Inter dubios casus cottidiane sollicitudinis diuinari possumus, si religiosorum hominum orationibus premissa elemosinarum largitione quodammodo subleuamur. Nouerit omnium uniuersitas presens scriptum intuentium, quod nos ob memoriam clare recordationis A. patris nostri iam defuncti recolentes villam Redecoue cum omnibus attinentiis eius ecclesie in Distorp damus et assignamus omni nostro iuri, quod in villa eadem habuimus vel habere videbamur, omnino renunciantes. Vt autem hec nostra donatio in suo vigore perhennata valeat vigere et ne super eo aliquod contradictionis obstaculum incurrere possit, presentem paginam inde conscribi et sigilli nostri appensione iussimus insigniri. Huius rei testes sunt: Hildebrandus, Fridericus, Capellani, Albertus de Niendorp, Aluericus de Kerkoue, Thegenardus aduocatus. Actum anno graciae millesimo ducentesimo XXVIII., quinto Kalend. Octobris.

Gercken's Dipl. I, 429. 431.

X. Das Kloster zu Diesdorf verkauft dem Kloster Riddagshausen eine Hufe Landes in Hadebere,  
am 16. April 1231.

Tidericus, prepositus, et conuentus in distorp omnibus hoc scriptum uidentibus orationes in domino. Cum ea que a fidelibus deuote et fideliter geruntur sepe a prauis et infidelibus infirmantur, expedit humana opera, ne humanum sequantur exitum, firmari et uoce testium et testimonio litterarum. Sciant ergo presentes et posterum, quod nos de communi consensu et consilio mansum unum in Hadebere situm, cum area et edificiis superedificatis, quia nobis minus erat utilis et fructuosus, cum omni iuris integritate, quo eundem possedimus, simul cum area et edificiis claustro de Riddagshausen pro XV marcis Luneburgensis argenti uendidimus, eandem pecuniam iterum unanimi uoluntate pro aliis bonis nobis magis utilibus et aptis in uilla Redegowe locantes. Vnde ne super hoc facto nostro ulla in posterum oriatur ambiguitatis occasio aut contradictionis obiectio, hanc cartam inde conscriptam sigillo ecclesie nostre fecimus communiri et nomina testium, qui huic facto interfuerunt, annotari: clerici herewicus deccanus sancti Blasii, iohannes custos, iohannes quondam notarius ducis; milites Willekinus marscalcus, Godefridus aduocatus, Ludolphus de gustede, Philippus de duren, Erpo flengerdus, Cico ciuis de Lata platea et alii quam plures. Acta sunt hec Brunswic, Anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo XXXI<sup>o</sup>. indictione quarta, XVI<sup>o</sup>. kalend. mai.

Von dem im Herzogl. Landeshauptarchive zu Wolfenbüttel aufbewahrten Original.